

1577.

1308 d. 26 Mars.

Örebro.

Konung BIRGERS öfverenskommelse och förlikning med sina bröder Hertigarne Erik och Waldemar, samt vilkoren för densamma.

E. 86. b. 1. och Lt k. 1.

Universis præsentis literas inspecturis, BIRGERUS Dei gratia Sueorum Gothorumque Rex, salutem in Domino sempiternam! Ut firma pax et vera concordia inter nos et fratres nostros karissimos Dominos, Ericum et Waldemarum, Dei gratia Duces Sueorum illustres perpetuis temporibus inviolabiliter observetur, promittimus eisdem fratribus nostris in vi sacramenti prius in Placitatione nuper apud Nycopiam corporaliter præstiti super corpus Christi, quod et nunc libera et spontanea voluntate approbamus, quod omnes causæ, dissensiones et discordiæ majores et minores, hactenus inter nos qualitercunque obortæ, debent ex parte nostra esse remissæ penitus et sedatæ, nec ullo unquam tempore per nos ad animum revocari. In vi etiam ejusdem sacramenti submittimus et committimus nos spontanea voluntate, quo ad omnia nos tangentia, majora et minora, voluntati et ordinationi eorundem fratrum nostrorum, quorum ordinationi in omnibus stare volumus, et ut inter nos disponendum decreverint, reputabimus nos contentos, et quod astabimus eis contra quemlibet hominem honores ipsorum, jura et bona tanquam propria tota potentia nostra defendendo, nec dampna, injurias vel gravamina ipsis aut hominibus suis seu ipsis adhærentibus, nec aliquid in ipsorum præjudicium occulte vel manifeste facere debemus, vel etiam attentare. Commissionem etiam castrorum Calmarniæ et Borgholma factam Dominis E. et W. Ducibus Sueciæ, fratribus nostris in christo karissimis per nobilem virum Dominum Karolum Thydhiskæ, tunc advocatum nostrum in eisdem castris et per alios castrenses ibidem ratificamus, et eam innovando omnino approbamus. Sub eodem nostro sacramento resignamus exnunc castra omnia Finlandiæ et partium orientalium, videlicet Aaboo et Tavestahus et Wiborgh cum terris adjacentibus eisdem et quam cito transitus patuerit ad Finlandiam, et partes illas orientales, mandabimus præfectis nostris ibidem, quod castra prædicta et terras cum pertinentiis suis eisdem fratribus nostris Dominis Ducibus tradant et committant pleno jure. quod si castrum Wiborgh tradere sibi non poterimus ista vice, per idem promittimus sacramentum, ut quocunque modo poterimus, procurare debemus, ut ad manus eorundem fratrum nostrorum sicut alia castra valeat devenire. et si per nos dictum castrum nullo modo possit optineri, astare debemus Dominis fratribus nostris consilio et auxilio, cum omni potentia nostra, ut in ipsorum perveniat potestatem. Item vi ejusdem sacramenti nostri promittimus, quod terras contractas et bona, quæ infra regnum nobis dimittere voluerint, debemus secundum leges et patriæ jura tenere, nec subditis ultra casum con-

suetum talliis, impositionibus, vel aliis gravaminibus aliquatenus honerare. Astringimus etiam nos firma obligatione in ejusdem vi sacramenti, ut si contingat fratres nostros præmori, et nos ipsis superstites esse, novas aliquas impositiones, tallias seu gravamina subditis regni nullatenus inpetere debeamus, nec de consensu et voluntate majorum regni requisitis pariter et optentis. et quod propter dissensiones inter nos et fratres nostros subortas homines ipsorum clericos vel laicos vel alios quoslibet eis qualitercunque adhærentes, vel subditos regni nullo modo gravare debemus, persequi seu etiam molestare, nec in eos aliquo modo vindicare. Astringimus etiam in vi ejusdem nostri sacramenti, quod milites, armigeros et notabiles personas regni capere vel captivare, seu bona ipsorum occupare non debemus, nisi prius legitime sint convicti, nec exactiones indebitas in ipsos exercere. Debemus etiam dictis Dominis Ducibus, fratribus nostris, cum hominibus nostris assistere, et regnum contra quoscumque invasores cum eisdem tota nostra potentia defensare. Promittimus etiam in vi ejusdem sacramenti nos curatores et procuratores cum omni diligentia et instantia quoad possumus, quod Magnifici Principes Domini Reges Daciæ et Norvegiæ, Domini Gerardus et Alverus fratres, Comites Hultzatiæ et Skogwiborg, et Dominus Henricus Magnipolensis una nobiscum omnia præmissa repromittent, et quod omnia per nos hic promissa velint observare. Cum his et ex parte nostra repromisit hec omnia vir nobilis Dominus Henricus Borgravius domus Theotonicorum, et assumpsit se procuraturum et curaturum, quod Magister Ordinis sui in Lywonia et fratres præmissa omnia repromittent; et si contra præmissa venerimus, prædictus Magister Ordinis et fratres sui possunt a nobis recedere libere, et dictis Dominis Ducibus fratribus nostris adhærere. Renunciamus etiam in vi ejusdem sacramenti omnibus literis cujuscunque tenoris, et ex quacunque causa a dictis fratribus nostris, Dominis Ducibus habitis et receptis, ubicunque et apud quemcunque inventæ fuerint, per solempne pactum ex certa scientia, et volumus quod sint irritæ, cassatæ et nullius penitus firmitatis: ipsosque Dominos Duces, fratres nostros ab omnibus obligationibus in eisdem contentis quietos et absolutos reddimus, et in perpetuum liberatos. Obligamus ergo nos modo quo supra, et firmiter astringimus ad omnia prædicta fideliter observanda. Et si contingeret, quod Deus avertat! nos venire contra præmissa seu quodlibet præmissorum, submittemus nos spontaneæ jurisdictioni Episcoporum Regni Sueciæ omnis, vel saltem illorum, quos Domini Duces fratres nostri ad hoc duxerint invocandos, ut possint in personam nostram summam *) Excommunicationis promulgare, et alias pœnas Ecclesiasticas seu Canonicas in nos exercere. Volumus etiam

et

*) *Troligen* sententiam.

et per pactum promittimus eisdem fratribus nostris, ut si in aliquo venerimus contra præmissa: omnes fidelitate nobis astricti sint eo ipso a nobis absoluti, et quod possunt absque qualibet nota vel displicentia nostra dictis fratribus nostris adhærere. Consentimus etiam, quod dicti Domini Duces, fratres nostri non teneantur nobis ad aliqua promissa observanda, si contra præmissa venerimus, ut superius est expressum, nobis nihilominus remanentibus eisdem, quo ad omnia inter nos placitata firmiter obligatis. Vi etiam nostri sacramenti nos obligamus, et voluntarie nos astringimus, ut, veniendo contra præmissa vel aliquod eorum, eo ipso perdamus bona et jura omnia nobis infra regnum competentia, et ad dictos fratres nostros devolvantur. Renunciamus insuper in omnibus præmissis omni exceptioni doli, fraudis, metus, violentiæ, et cujuscunque auxilii juris communis vel consuetudinarii, quod nobis prodesse possit, et prædictis fratribus nostris obesse in præmissis vel quolibet præmissorum. Ratificamus insuper et approbamus placitationem Anno Domini M°. CCC°. VIII°. Dominica carnis Privii Nycopiæ habitam, et omnia in ea contenta tenore præsentis innovamus. Ut autem prædicta omnia et eorum quodlibet per nos et nostros firmiter et inviolabiliter observentur, repromiserunt una nobiscum Domini Episcopi, Episcopus Scarensis, et alii nobiles et magnates regni infra scripti, videlicet Swantapolk, Henricus Borgravius, Karolus Thidhiske, Benedictus Boosson, Rangwaldus Puke, Henricus Glysingh, Gudserkus Boosson, Johannes Huwd, Milites, nec non et Domicellus Ærnist, Sigmundus Kialdorsson, Anundus Liquidsson, Thoko Boosson, Stephanus Rökesson, Christiarnus quondam Advocatus, et Christiarnus filius suus. In cujus rei testimonium una cum sigillo nostro sigilla supradictorum nobilium præsentibus sunt appensa. Actum et datum Oerabro Anno Domini M°. CCC°. VIII°. in crastino Annunciationis beate Virginis.

Utom Konungens 2:sidiga sigill, äro 10 andra sigill aftecknade, samt remsor till 3:ne dito.

1578.

1308 d. 17 April.

HOLMGER ÅMÄS Pantebref på afraad af jord i Långdunker till Lars Ulfsson, till godtgörande af 80 mark penningar.

J. G. 298. v.

Omnibus præsentis literas inspecturis, HOLMGERUS AMÄ, salutem in Domino sempiternam. Tenore præsentis constare volo Evidenter, me fratri meo Laurentio Ulfsson, in octaginta marchis denariorum; pro parte fratrum meorum iuniorum, et sororum Langädunker, videlicet, decem solidis terræ

Sv. Diplom. II.

67